

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Torcé, Nr. 6**

Guillelmus, Dei gratia Cenomannensis episcopus, universis fidelibus ad quos littere iste pervenerint, salutem. Ad presentium posterorumque notitiam per presentem paginam transmittendam duximus quod cum super quibusdam plateis de feodo monachorum Majoris monasterii, juxta domum eorum de Torceio sitis, inter eosdem monachos et quemdam militem, nomine Fulconem de Insula, longa contentio versata fuisset, tandem in hanc compositionem utraque parte assentiente devenerunt. Monachi siquidem illi plateas illas et ex heredibus suis in perpetuum habendas concesserunt et illi in recumponationem et pro censu illarum platearum II solidos et III denarios cenomannensis monete in Assumptione beate Marie singulis annis tam ab ipso quam ab heredibus ejus in perpetuum reddendos in molendino fulatorio de Charruel noviter facto seu in molendino annonario ad voluntatem illorum concessit. Concessit etiam quod molendinorum proventus... monachis de Torceio et presente aliquo illorum vel nuntio ipsorum..... Quicumque etiam in feodo illius habent vel acquisiti sunt..... salvo jure suo, concessit. Cum autem in decima molendini sui..... monachi in pace haberent et Fulcho ille super decimam molendini fullatorii cum eis contenderet, dicens quod eam habere non possint..... in hac tamen compositione decimam utriusque molendini ipsi in eadem aqua deinceps ab eo vel heredibus ejus facturi essent eis in perpetuum nihilominus concessit. Sciendum preterea quod si predictas plateas idem Fulcho vel heredes ejus a proprietate sua alienare voluerint, eas monachi in manu sua capient restituto ei pretio quod pro ipsis plateis prefatus Fulcho, id est decem solidos cenomannensium, et predicto censu molendinorum remanente. Venientes autem in presentiam nostram pars predictorum monachorum et prefatus Fulcho compositionem istam recognoverunt, presentibus Reginaudo precentore. Petro archidiacono, Pagano Garon, Philippo, fratre precentoris, Hamerico, fratre eorum, Matheo de Sancto Cherello. Nos autem ad petitionem partium, ut ratum indivulsumque teneretur, id litteris annotari et sigillo nostro fecimus communiri.